

ram inopiam et egestatem dixeris? Abundet denique panibus et alimentis, morbo autem vel captivitate ita detineatur, ut cibo uti nullo queat, sicut fame intereat, nonne tunc inopiam reputabis quamlibet copiam? Quid mihi divitiarum, inquit Poeta, si non conceditur usus? Sic noster Sapiens: « Quid prodest stulto habere divitiarum, cum sapientiam emere non possit? Sap. c. v. Quia scilicet ad hunc effectum nihil prosunt divitiarum, vel potius quasi diceret, nihil prosunt stulto divitiarum, cum iis uti non possit stultus, nec iis se stultitia liberare; atqui talis est copia, quæ Deus non est, id est, quidquid sit, quod habeas, nisi habeas illam divinam gratiam, per quam Deus nobiscum habitat, et nos cum illo; » per quam filii Dei sumus, et hæredes ejus, cohæredes autem Christi. » Rom. VIII.

Nisi habeas virtutes et opera, quæ sunt necessaria ad gratiam illam conservandam, illamque hereditatem aliquando consequendam, nihil habes, quod tibi prosit in tua summa necessitate; nam hæc est tua summa necessitas, salvum et beatum esse, cui necessitati nihil prosunt divitiarum, nisi fuerint fructuose propter Deum impense. Nihil prosunt dignitates, nihil doctrina, nihil artes, nihil auctoritas, nihil denique aliud, quam quod spirituale est et divinum. « Quid nobis, inquit, proffit superbia? Aut divitiarum jaectantia quid contulit nobis? Transierunt illa tanquam umbra, et tanquam nuntius percurrrens, et tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, et tanquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus aer in se continuo reclusus est, ut ignoretur transitus illius; sic et nos nati continuo desinimus esse, et virtutis quidem nullum signum valimus ostendere; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt, quoniam spes impij tanquam lanugo est, quæ a vento tollitur, et tanquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tanquam fumus, qui a vento diffusus est, et tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis. Iusti autem in perpetuum vivunt, et apud Dominum est merces eorum. » Sap. v. 8.

Omnis ergo copia, quæ Deus non est, egestas censenda est.

## DUBIUM XIII.

*De Sermocinatione Dei cum simplicibus.*

Legerat aliquando Philothea versum illum Salomonis: « Cum simplicibus sermocinatio ejus, » Prov. III, magnamque inde lætitiarum conceperat; sed pro majiori solatio suo etiam causam hujus familiarioris conversationis intelligere cupiebat.

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, causam esse, quod iis se libentius Deus communicet, qui se illi totos subjiciunt; hoc autem faciunt simplices, qui intellectu et voluntate se illi subjiciunt; in hoc enim proprie consistit simplicitas animi, ut, sicut parvulus, non reluctetur, non repugnet, simpliciter credat, et facit, quod cognoverit a Domino revelatum, et ordinatum. « Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, ait Moyses, nec addas quidquam nec minus. » Deut. Xii.

Hoc vere est esse simplicem; atque hinc dicitur in Proverbiis: « Abominabile Domino cor pravam, et voluntas ejus iis, qui simpliciter ambulant; » quia hi scilicet sese illi subjiciunt. Hoc diserte S. Joannes Chrysostomus allata similitudine parvulorum ostendit: « Etiam, inquit, Regina cum diademate atque purpura parvulis offeratur, non preponunt eam matri, licet pannosa; » sic se simplices divine fidei et providentiæ totos addicunt, ut, licet humilia et abjecta proponantur ad credendum, vel faciendum, iis potius acquiescant, quam quæ mundus faciat et offert: « Gloria nostra hæc est, inquit Apostolus, testimonium conscientiarum nostrarum, quod in simplicitate cordis, et sinceritate Dei, et non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo. » Rom. LXIII, in *Matt.*

Patet, ergo, quod cum simplicibus sit communicatio ejus, id est, communicatio familiaris de divinis mysteriis, aut quibuscumque rebus spectantibus ad salutem et perfectionem. « Deo enim sermocinari est, inquit S. Gregorius, per illustrationem suæ præsentiae, humanis mentibus arcana revelare; cum simplicibus igitur sermocinari di-

cutur, quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitationis obscurat. » II Cor. I.

Et S. Hieronymus: « Sermocinatio, inquit, Domini cum simplicibus est, quia illos cælestis sapientiæ secretis illustrat, quos terreni fastus, ac duplicitationis nihil habere considerat; hinc etenim dicit: Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis. » *Matt.* XI.

## DUBIUM XIV.

*De Deo super omnia amando.*

Alias pauca hæc ejusdem auctoris verba legerat: « Sicut a Deo, sic ad Deum; » quorum obscuritatem, et breviter cum non satis intelligeret, ideoque clariorem explanationem expeteret,

## SOLUTIO.

Respondit Asceta, sensum esse, quod sicut a Deo creati sumus, sic nos ad eum, nostraque omnia referamus, tanta est necessitas unius atque alterius. Differentia quidem est necessitatis, quandoquidem illa est physica, et extra nos posita, quæ sumus a Deo; altera vero, quæ nos ad eum referamus, est moralis, et a nobis cum divina dependens gratia; sed tamen hæc tam una, tantaque est necessitas, ut vere dici possit, quod sicut necessario sumus a Deo, sic necessarium sit, ut nos ad eum referamus. Liberum quidem nobis est, ut id actu fiat cum gratia; sed ne desimus gratiæ, nostroque debito, persuadeamur, oportet, id esse nobis tam necessarium, quam si non esset liberum; neque enim libertas talis nos a debitis nostris magis exolvit, quam a cæteris omnibus Christianæ justitiæ tum positivis, tum negativis officiis, ad quæ præstanda similiter liberi sumus. Sed quo sensu liberi? Nempe ut possumus nolle, aut velle cum gratia; si autem volumus, libere ac voluntarie id velimus, quod debemus, atque hoc ipsum, quod debemus, ac volumus, semper exequamur, non necessario, sicut animantes belluæ, non coacte sicut serviles animæ. Quo in sensu dixit etiam Apostolus, *legem justo non esse positam*; id est, non coerceri justos legibus, quia ultro illi, et sponte observant legem;

sunt enim in qualibet lege tria consideranda, nempe obligare, dirigere et coercere, sive punire. Duo priora lex in justos exerceat, tertium vero in injustos, qui se duobus primis non subjiciunt. Hoc ipso itaque, quo agnoscis Deum esse finem tuum, tanta necessitate, tanto jure, tantaque teneris obligatione, te ad illum totum referre, quanta est ipsa quodammodo necessitas, quæ Deus est finis tuus.

## DE DUBIIS MISCELLANEIS.

## DUBIUM I.

*De Patrocini B. Virginis efficacia.*

Legerat aliquando Philothea ex SS. Patribus: « Sicut a te. (O B. Dei Mater) aversus et despectus, necesse ut perat; sic ad te conversus et a te respectus, impossibile est, ut perat; » quæ sententia merito illi difficilis capta videbatur, eo quod peccatores ea abuti in vana perniciem possent, quare explicari sibi illam cupit.

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, eam de morali, non physica impossibilitate intelligendum esse, quo in sensu veram esse sententiam colligitur. Ex sententia Salomonis, quæ ipsi attribuitur: « Qui me invenerit, invenit vitam, et hauriet salutem a Domino. » Prov. VIII. Et iterum: « In me gratia omnis viæ, et veritatis, in me spes vitæ et virtutis. » *Ecc.* XXIV.

2. Colligitur ex SS. Patribus, ex quibus S. Anselmus ait: « Velocior est ibnumquam salus memorato nomine ejus, quam invocato nomine D. Jesu; non quod ipsa major et potentior sit, nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed illa per ipsum. Quare ergo? Dicam quod sentio: Filius Dominus est, et Juxta omnium, discernens merita singulorum. Dum igitur ipse a quovis suo nomine invocatus non statim exaudit, profecto id juste facit. Invocato autem nomine Matris, et si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. *De Ex.* VII. c. VI.

Brevius Idiota : « Quos sæpe iustitia Filii damnare potest, Matris misericordia liberat. » Fusissime vero S. Bernardus sermone de aquæ ductu, ubi postquam de mediatrice interponenda ad mediatorem egit, sic pergit : Invenisti, inquit Angelus, gratiam apud Deum feliciter; semper hoc invenit gratiam, et sola est gratia, qua egemus; sola est gratia, qua salvamur. Queramus; gratiam, et per Mariam queramus; quia quod querit invenit, et frustrari non potest. S. BEN. apud *Hainens.* ser. vi, heb. 1 *Adventus.*

Unde sequens formari potest discursus : « Ideo omnis respectus ab ea non perit, quia per eam obtinet gratiam finalis perseverantia, cum qua nemo perit. Sed omnis etiam despectus ab ea, privatur illa gratia, qua quisquis privatur, perit. Ergo sicut omnis respectus ab ea, impossibile est, ut pereat; ita omnis despectus ab ea, necesse est, ut intereat.

## DUBIUM II.

*De Sanctorum Cultu optimo.*

Audierat aliquando Philothea citari S. Idephonsi sententiam sic sonantem : « Imitamini Matrem Virginem, et Sanctos omnes quos laudatis; quoniam non tantum prodest illis nostra laudatio, quam nobis eorum imitatio. Unde Sponso magis placet imitator devotus quam laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis, est imitatio operis; » nec poterat capere, quam ob causam imitatio plus ipsis, quam laudatio placeat. Cui dubio,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, atque rationem esse, quod omnis honor et cultus proveniat ab æstimatione, quam facimus de eo, quem honoramus; quanto apertius erit signum mee de Sancto æstimationis, tanto erit major illius cultus. Longe autem apertius erit signum, cum ejus virtutes imitabor, quam cum laudavero; nam facta præstant verbis. Qui tantum laudat, nec imitatur, dubiam facit laudationem. Cur enim non exprimit opere, quod sermone? At vero qui imitatur, etiamsi non laudat verbis, opere ipso magnificat. Hinc S. Joan. Chrysostomus sermonem egregium scripsit de Martyribus, quod vel

laudandi non sint, vel imitandi : « Quoniam, inquit, quem delectat Sancti alienus meritum, delectare debet par circa cultum Dei obsequium; quare aut imitari debet, si laudat; aut laudare non debet, si imitari delectat. » Tom. III.

Adde, quod ipsi Sancti in obsequiis nostris magis spectent gloriam Dei, et nostram salutem, quam sui venerationem. Est autem Dei gloriosus, et nobis utilis, eos imitari quam laudare. Non quod a nobis laudandi non sint, sed quod magis etiam imitandi. Sic apte S. Bernardus : « Ad quid Sanctis laus nostra? Ad quid glorificatio nostra? Quo eis præconia nostra? Pleni sunt, honorum nostrorum non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur. Plane quod eorum memoriam veneramus nostra interest, non ipsorum. » Ser. v, de *Fest. omni. Sanctorum.* Quasi diceret, magis coluntur, magisque sibi gratificatum putant, si ipsorum præclare gesta factis consecemur, quam verbis. Quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem, inquit Apostolus. *HEBR. XV.*

Hinc S. Aug. ait : « Quotiescumque, Fratres charissimi, sanctorum Martyrum solemniam celebramus, ita ipsis intercedentibus expectemus a Domino consequi temporalia beneficia, ut ipsos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab eis sanctorum Martyrum in veritate festiva gaudia celebrantur, qui ipsorum Martyrum, exempla sequuntur. Solemnitates enim Martyrum, exhortationes martyriorum sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat.

## DUBIUM III.

*De Officio recte obeundo.*

Dixerat nonnemo in exhortatione, eum esse vere et unice laudandum, qui ab officio laudatur; quod sibi imaginari non poterat Philothea, eo quod multo plures titulos reperiri existimet, e quibus vera laus peti queat. Itaque, eum de more hoc dubium proposuisset,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, rationem dicti hujus esse evidentem, quia laudari a voluntate Dei

completa, seu plane effecta, hoc est vere laudabile. Hic est enim finis omnis creature, ut sit ad Deum, sicut hoc est ejus principium, ut sit Deo, qui propterea dicitur *primum et novissimus*, et *in principium et finis*. Esse autem creaturas ad Deum, quid est aliud, quam ideò esse, ut faciant verbum, seu voluntatem ejus? Est igitur earum finis voluntas Dei. Jam vero, cum res aliqua finem suum perfecte attingit, nonne perfecta est? Si porro est perfecta, nonne tum laudabilis, quantum laude digna? Sic ergo evidenter apparet, quod laudari a voluntate Dei, hoc sit vere laudabile. Sic Angeli nobiliores creature maxime commendantur, eum de his dicitur : « Benedicite Domino Angeli ejus, potentes Virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. » *Ps. cii, 20.*

Sic ipse Angelorum et hominum Dominus hoc uno se commendabat : Ut faciam, inquit, voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus; sed laudari ab officio rite administrato, est laudari a voluntate Dei completa, seu quam bene fieri potest, adimpleta. Nam cum semel ex ordinatione divina susceptum est officium, quoties bene illud administratur, toties Dei voluntas efficitur, neque aliter certius et manifestus divina nobis voluntas innotescet, quam per nostrum officium. Quis enim dubitet, quin Deus ab unoquoque velit, ut id præstet, quod ab ipso præstandum accepit? Quis sibi non dictum putet ab Apostolo, quod is dicit Archippo : « Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas! » *Coloss. iv.*

At de quovis alio bono opere quis ita certus esse potest? Imo quantumcumque bonum sit, si quis repugnet officio rite obeundo, tunc desinet opus esse bonum, quia impedit aliud, quod est certius bonum. Sed unde est certius bonum, nisi quod est certius a divina voluntate? Atque illud est, quod monelat Apostolus : « Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus... » *Rom. xii, 3.* Et quæ plura, pergit. Adde hic vero, quod cum officii cujuslibet plures sint partes, seu plures bene gerendi occasiones, quisquis sic omnibus intentus est, ut nullam omitat, vere is dicitur totus esse in voluntate Dei adimplenda, quod non potest dici de alio quolibet bono opere, in quo tam frequens

esse non poterit, sicut in officio, et munere persolvendo. Denique non una tantum voluntas Dei in eo fit, sed triplex illa, de qua Apostolus : « Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, et beneplacens, et perfecta. » Nempe cum id fit in substantia, quod vult Deus; cum in modo sicut vult; et in fine, quia sic vult. O quam præclare tum administratur officium, cum sic voluntas Dei adimpletur! Et quam vere tum voluntas divina compleitur, cum sic præclare administratur officium! Quare hortatur Asceta, ut audiat Philothea Christum Petro dicentem : Quid ad te? Tu me sequere. Quasi diceret, ut interpretatur S. Chrysostomus : « Opus suscepisti, id considera, perfice et labora. Quid ad te de Joanne? Tu officium tuum cura, et exequere. »

## DUBIUM IV.

*De Modo officii recte obeundi.*

Audierat aliquando Philothea, in renovatione sui illud axioma : « Non aliud, sed aliter » ob oculos habendum; cujus dicti veritas non parum illi suspecta erat, cum utique renovatio requiratur, ut aliud etiam agamus, quam prius feceramus, uti in peccatoribus patet.

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, hoc axioma non tam de gravibus peccatoribus, quam de justis graviora peccata vitantibus esse intelligendum; hi enim, cum in modo præcipue quotidianas suas actiones obeundi plerumque deficient, merito illis suadet, ut non aliud, sed aliter agant, seu, ut alius dixit : Non quid, sed quomodo agatur, Deus attendit. *JOAN. XII.*

Id quod pius auctor his verbis confirmat : Sine charitate opus externum nihil prodest; quidquid autem ex charitate agitur, quantumcumque etiam parum sit, et despectum, totum fructuosum efficitur. Magis siquidem Deus pensat, ex quanto quis agit, quam quantum facit. Multum facit, qui multum diligit. Multum facit qui rem bene facit. Bene facit, qui magis communitati, quam suæ voluntati servit. Quæ omnia in

renovatione imaginis clarius patent; sicut enim hæc non quoad substantiam ipsam, sed quoad modum dumtaxat, scilicet per inductionem novorum colorum, renovatur; ita se res eodem modo in renovatione mentis habet.

## DUBIUM V.

*De Perpetuo Gaudio.*

Æque parum imaginari sibi poterat Philothea, quomodo verificetur illa Salomonis sententia: « Non contristabit justum, quidquid ei acciderit; » *PROV. XII, 21* cum plures plerumque justis crucis, et tribulationes obveniant, quam injustus; ad quem scrupulum et dubium ei eximendum sic

## SOLUTIO.

Respondet Asceta et confirmat allatam sententiam: Nihil potest accidere homini, nisi volente Deo; hinc apud Isaiam dicit: « Ego Dominus, et non est alter, formans lucem et creans tenebras, faciens pacem et creans malum. Ego Dominus faciens hæc omnia. » Qui et queritur, et minatur, si quis aliter sentiat. Quis est iste, qui dixit, ut fieret Domino non jubente? Ex ore Altissimi non egredientur, hæc bona nec mala? *ISA. III, 38.* Quasi diceret, qui est iste ignarus, quis iste temerarius, quis iste blasphemus in divinam providentiam, qui dubilet, non æque eam procreare mala atque bona? Sed *quidquid volente Deo accidit, non contristabit justum.* Aut certe justus non erit, si inordinate contristetur; nam sicut nihil justus, quam Deo volenti et jubenti parere, et subjici, sic nihil injustus, quam velle se, suamque voluntatem præferri divinam. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Vel enim judicæ illud, quod accidit, injuste a Deo accidisse, vel juste; si injuste, injustus vel iniquus ipse es, qui injustitiam Deo imputare audes. *Namquid iniquus est Deus, qui infert iram?* inquit Apostolus. *Absit; alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?* Quod si id juste factum putas nec aliter nisi juste et sancte posse Deum aliquid facere credis, sicut ait Deo Sapiens: « Cum sis justus, juste omnia disponis. » Nonne etiam tu injustus es, si contristeris, et doleas de eo, quod tu ipse justum, et juste factum putas? Sic egregie S. Greg.

in hæc verba Jobi: « Sicut Domino placuit, ita factum est. » Cum enim in hæc vita, ea quæ nolumus, patimur, necesse est, ut ad eum, qui injustum velle nihil potest, studia voluntatis nostræ inclinemus. Magna quippe consolatio in eo, quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi justum placet. Si igitur justa Deo placere scimus, pati autem nulla, nisi quæ Domino placuerunt, possumus. Justa sunt, quæ patimur; et valde injustum est, si de justa passione murmuramus. » Hoc est ita certum ut ab impiissimo mortalium, nempe Antiocho Rege, voluerit Deus publica confessione declarari, ne deinceps auderet aliquid id negare, quod tam nefarius protulisset, ipsa veritate convictus: *Justum est, inquit subditum esse Deo.* Hinc fortissima Judith recte dixit: « Non ulciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quibus quasi servi corripuntur ad emendationem, et non ad perditionem nostram, evenisse credamus. *JUDITH. VIII, 26.* Observa illud, quo utitur, verbum, *non ulciscamur.* Est enim quoddam ultionis et vindictæ genus in Deum, cum nimis contristari contrariis eventibus rationes prætedimus nostræ tristitiæ et afflictionis, quasi vellemus illum arguere, aut nos ita justificare, quasi hoc immerito pateremur, quod patimur, hoc est, ut illa ipsa Judith admo-nebat; improprium murmurationis suæ contra Dominum proferre. *L. II Mor. cap. IXX.*

## DUBIUM VI.

*De Sensibili Consolatione.*

Subtrahatur aliquando Philothæ omnibus sensibilis consolatio; ob quam subtractionem, cum multum affligeretur, sequè omnino derelictam crederet, occurrit,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta et in primis ei ex S. Bernardo ostendit, quid sit sensibilis consolatio, et subtractio ejusdem. Sic ergo ille loquitur: « Sane ab heri et nudius tertius invasi me languor iste animi et mentis hebetudo, insolita quaedam inertia spiritus. Currebam

bene, sed ecce lapis offensiois in via in-  
pegi, et corru; superbia inventa est in me,  
Dominus declinavit a servo suo. Hinc ista  
sterilitas animæ meæ, et devotiois inopia,  
quam patior. Quomodo ita exaruit cor meum,  
coagulatum est sicut lac et factum est sicut  
terra sine aqua, nec compungi ad lacrymas  
queo, tanta est duritia cordis. Non sapit  
Psalmus, non legere libet, non orare delectat,  
meditationes solitas non invenio. Ubi  
illa inebriatio spiritus? Ubi mentis serenitas,  
et pax, et gaudium in Spiritu Sancto? Ideo  
ad opus manuum piger, ad vigiliis somnolentus,  
ad iram præceptus, ad odium pertinax,  
linguæ et gulæ indulgentior, segnior  
obtusiorque ad predicationem. Heu! omnes  
montes in circuitu meo visitat Dominus, ad  
me autem non appropinquat. Quid me aliud  
putem quam unum de montibus Gelboe  
quem præterit in ira et indignatione sua  
ille ceterorum omnium benignissimus visi-  
tator? » *Ser. LIV, in Cant.*

Hoc supposito gemino argumento probat,  
eam tristari non debere ob talem subtractionem.  
Primum sic format: Tunc veræ et solide  
virtutis est probatio, cum necessitas et  
difficultas occurrunt simul in ejus exercitio;  
dicitur autem necessitas virtutis exercen-  
dæ, quando in contrarium abires vitium,  
oppositumque peccatum, nisi virtutem exer-  
ceres. Non est enim major necessitas, quam  
non peccare, nam ipsa vitæ degendæ neces-  
sitas illi cedit: *Una est inevitabilis necessitas,  
Deum non offendere,* inquit S. Joan. Chryst.  
*ino hoc unum necessarium,* (*Hom. v, ad Popu-  
lum*) de quo Christus Dominus, cum in fuga  
peccati potissimum consistat nostra salus,  
divinusque cultus. At vero cum tantæ ne-  
cessitati jungitur difficultas exercendæ actu  
et re ipsa virtutis, undecumque tandem  
difficultas proveniat, tunc maxime dicitur  
probari virtus, an sit vera et solida, qua  
tentatur et sollicitatur animus ex diversa  
parte ad virtutem et vitium. Necessitate vir-  
tutis excitatur ad ejus exercitium, sed ejus-  
dem difficultate, inde avocatur, sed sub-  
tracta devotioe sensibili necessitas et diffi-  
cultas veræ et solidæ devotiois simul occur-  
runt. Nam cum oppositum vitium invaserit  
penitus animam, et ita quodammodo con-  
strictam teneat, ut vix se contra movere  
possit, quibus armis, quibus presidii se se  
tandem a vitio tutabitur, nisi tam certa soli-  
dæ sit devotio, ut nullis cedat impugna-  
tionibus, et contra potius ex infirmitate fiat

robustior. Quanta sit vero difficultas secum  
decertandi, quis non videt? Quis non sentit?  
Cum ipsi ferventiores et sanctiores vix pares  
sint certantini, et tantum non deficient, tan-  
tum non cedant: « Ecce gigantes gemunt sub  
aquis, et qui habitant cum eis, » *Job. XXVI, 5.*  
inquit Beatus Job, quasi dicit, ipsi fer-  
tiores tam ingemiscunt præ difficultate,  
quid alii debiliores? Sensibilis ergo devo-  
tionis subtractio veræ et solidæ devotiois  
est probatio; quia tum duo illa simul con-  
currunt, ex quibus certa probatur virtus,  
nempe necessitas et difficultas, que sic in  
diversa rapiunt animum, ut si quis tum fi-  
delis sit, vere solideque devotus censeatur.  
*Nunc cognovi,* dicit Dominus de Abrahamo,  
*quod vere colis Deum.* *GEN. XXII, 12.* Id est,  
ex illa fidelitate, quam servasti in tali con-  
cursu necessitatis, et fidelitatis cognoscen-  
dum te præbuisi, qualis esses, an vere  
coleres Deum. Alterum argumentum sic for-  
mat: Beatus est magis carere omni consola-  
tione sensibili, quam ea abundare. Nam,  
ut ait Apostolus, « oportet meminisse verbi  
Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatus  
est, magis dare, quam accipere. » Quod ab-  
solute et universim dictum de omni genere  
doni, magis adhuc videtur verum de donis,  
quæ Deo fiunt; nam, ut optime et suavis-  
sime ait S. Joan. Chryst. Beatus est, debitorem  
habere Deum, quam novis nos debitis apud  
eum constringere; cum jam enim tam multa  
illi debeamus, cumque ex tot capitibus, seu  
nominibus, mereatur a nobis coli, certe nihil  
amanti Deum accidere potest beatus, quam  
si eum qualemque beneficio demereri, aut,  
si fieri possit, debitorem habere valeat. Hoc  
B. Virgini tanquam singulare aliquod privi-  
legium a Sancto quodam Patre predicatur:  
« Euge, que debitorem habes eum, cui nos  
debemus universi. »

Sed qui caret omni sensibili consolatione,  
dat Deo, quantum homo dici potest illi dare.  
Supponi duo debent ad declarationem hujus  
propositionis: Primum est sermonem esse  
de homine, qui se proficitur Dei et virtutis  
cultorem. Alterum quod libenter talis in  
obsequio Dei carere velit omni prorsus sen-  
sibili consolatione. Quibus præsuppositis  
aperte patet, tum illum hominem dare Deo,  
quantum illi a nobis dari potest. Nam quid  
ultra cogitari potest, quod a servo detur, si  
postquam domino suo, quam potuit, cumu-  
late ministravit; nihil prorsus pretii, nihil  
mercedis, nec quidem cibum reposeat, imo se

beatum putet, si gratis illi serviat, vel si etiam male tractetur a domino, nihil de servitio suo remittat, imo eo magis augeat usque ad mortem, quo pejus tractatur. Hinc optime S. Bernardus: « Cum id totum dedit homo, quod potest, certe liberalior esse non potest, et ipsius est divinæ magnificentie, sua id acceptatione magnum facere, quod suo alioquin pretio nullum, aut valde modicum esset. » *Serm. de Quadr.*

Id quod etiam Christus confirmavit S. Gertruda dicens: « Vellem electis persuasum esse, quod eorum bona exercitia et opera mihi omnino placeant, quando ipsi servitium expensis suis. Illi autem expensis suis mihi servitium præstant, qui, licet sapore devotionis minime sentiant, fideliter tamen (ut possunt) orationes, et alia pia exercitia sua peragunt, confidentes de pietate mea, quod ego illa libenter, et grate suscipiam. Plerique sunt, quibus si sapor et consolatio interna concederetur, non eis prodesset ad salutem, et meritum ipsorum valde minueretur. » *Lib. de divin. Insinuat. c. xviii.*

Snadet ergo Asceta Philotheæ, ut illa verba pii Ascetæ semper in memoria habeat: « Devotus homo ubique secum fert consolatore suum Jesum, et dicit ad eum: Adesto mihi, Domine Jesu, in omni loco, et tempore. Hæc mihi sit consolatio, libenter velle carere omni humano solatio. Et si tua defuerit consolatio, sit mihi tua voluntas et iusta probatio pro omni solatio. Non enim in perpetuum irascaris, neque in æternum comminaberis. Tu. KEMP. I. II, c. xvi.

## DUBIUM VII.

*De Mortificatione.*

Audierat aliquando in concione quadam Philothea, non minus perfectam mortificationem censi debere, bene uti rebus, quam omnino non uti, quod prorsus imaginari non poterat, cum Religiosi propterea maxime præ secularibus eleemosynam dantibus laudantur et æstimantur, quod omnia simul relinquunt, seculares autem partem dumtaxat. Adejus doctrinæ veritatem illi persuadendam,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, atque, rationem petendam esse a perfectæ mortificationis defini-

tionem, quæ communi omnium, quid eam descriperunt, Patrum consensu sic esse, declaratur, cum appetitus perfecte subjectus est rationi, et ratio Deo. « Id quod est in homine præcipuum, inquit S. Aug., imperet cæteris, quæ sunt nobis bestisque communia. Atque id ipsum, quod excolit in homine, id est, mens et ratio, potiori subjiciatur, quæ est ipsa veritas unigenitus Filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest, nisi Superiori se ipse subiciat. » *Lib. I. de ser. Dom. in monte, c. ii.*

Sic S. Prosper: « Dominetur vitis ratio, subjiciatur corpus animo, animus Deo, et impleta est tota hominis perfectio. S. Prosper. in Sent.

Sanctus quoque Leo: « Si mens rectori suo subdita terrene voluptatis incitamenta calcaverit, ordinalissimum tenebit ratio principatum; quia tunc est vera pax, et vera libertas hominis, quando et caro animo judicæ regitur, et animus Deo Præside gubernatur. » *Ser. i, in Quadr.*

Hemque rursus: « Emundantes nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut castigatis collectationibus, quæ sunt inter utramque substantiam, animus, quem sub Dei gubernaculis constitutum, corporis decet esse rectorem, dominationis suæ obtineat dignitatem. » *Serm. iv.*

Denique S. Papa Gregor. paucis hæc omnia contrahens. « Cum vel mentem Deo, inquit, vel carnem menti subjugamus. » *S. Greg. I. VI. Mor. c. xvi.*

Huc usque SS. Patres. Subsumebat postea Asceta: Atqui bene rebus utendo secundum propriam ejusque vocationem, non minus perfecte appetitus subjicitur rationi, et ratio Deo, quam non utendo. Cur enim non utendo fit ista duplex subjectio, nisi quia, cum naturaliter appetitus propenderet in usum rei, retinetur ista propensio ratione, et ratio dicitur a Deo, seu a gratia, quantum retinere debeat. Unde S. Petrus: « In scientia, inquit, ministrat abstinentiam. » *S. Petr. II. c. i, 6, id est, discrete et rationabiliter secundum Deum, prout scitis in Domino. Sic plane in honore rei usu, qui fit tantum intuitu vocationis, cum ex naturali concupiscentiæ motu pars illa, quæ dicitur sensualis, seu appetitus, apparet rem usurpare alio prorsus modo et fine, quam velit ratio. Ratio, cum gratia cohibet hanc concupiscentiam, et a propria vocatione, tanquam ab interprete divina*

## DUBIUM VIII.

*De Fidelitate.*

Dicebatur quondam ab aliquo, majorem reperiri fidelitatem in parvis, quam magnis rebus; quod iterum credere non poterat Philothea, cum utique major difficultas, et attentio requiratur in magnis opibus juxta Domini voluntatem dispensandis, quam in parvis divitiis. Quare consultus super hoc dubio Magister ejus spiritualis,

## SOLUTIO.

Respondet istiusque dictiveritatem sic ostendit: In confesso est apud omnes, quod in eo potissimum consistat servi fidelitas, si constanter et pure domini sui rationes respiciat, et non suas; atque adeo, quo is constantius, et purius sic se gerat erga dominum suum, eo fideliter servus et chariter habitabit. Sic se Jacobus socio suo Labano non abiter: « Viginti anni fui tecum; oves tue et capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi; ego damnum omnem reddebam, quidquid furto peribat, a me exigebas, die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sique per viginti annos in domo tua tibi servivi. » *Gen., § 1, v. 38.*

Hoc est, esse constans, hoc est, esse fidelis ex hac parte; sed in parvis precipue rebus hoc præstat servus Dei, id est, manifestus se ostendit constantem, et se pure respicere mandantem potius, quam mandata. Nam primo de constantia, cum frequentius occurrant parva, quam magna, certe in parvis etiam facilis est se constantem probare, quam in magnis. Esto enim occurrent aliquando magna, in quibus sis fidelis; at, cum dictum sit, non ex uno aut altero casu fidelitatem probari, sed ex multis. Quis non videt, multa illa quotidie in parvis tantum rebus evenire, ubi se probabilem servus exhibet? Deinde vero de puritate, qua imperans potius respicitur, quam imperium, aperte patet, in parvis rebus, ubi nihil adeo spectandum cernitur, quod animum pelliciat ad sui considerationem, sicut in magnis. Neque enim illic magnus proventus, aut jactura magna; non inde illud decus,

aut aliqua gravis injuria. Unde si quis parva et quotidiana illa constanter, et qua potest sollicitudine ac diligentia perficiat, profecto indicabit se unum imperantem pure respicere, se uni Deo intendere, si illi uni adhaerere, et cum Davide posse dicere: « Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. » PSAL. LXXII, v. 26.

« Alii sibi partes faciunt de rebus humanis, inquit S. Aug., clamet populus Dei: Pars mea Deus meus. Non ad tempus pars mea, sed pars mea Deus in sæcula. » In parvis major est igitur servi Dei fidelitas, quam in magnis; quia illis major constantia, et puritas cultus Dei spectatur, in quibus tota consistit fidelitas: « Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. » MATH. XXV.

Non commemorat Dominus, quæ magna servus egerit, quia ubi agitur de compensanda fidelitate servi, declarandum dumtaxat sibi id videtur, in quo est sita illa fidelitas, ut alii servi doceantur, et excitentur ad illam exercendam. Sic rursus alibi Dominus. « Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est, et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est, » LUC, XVI; quasi aperte diceret, non a magnis, sed a parvis rebus dignoscitur fidelitas servi, quia sæpe contingit, ut qui in magnis fidelis est, non sit in parvis, vix autem fit, ut qui in parvis sit fidelis, non sit in magnis. Et sic primi hominis tentata est fidelitas in re exigua, qualis est pomi esus. Sic primi Judæorum Regis in mora et expectatione Samuëlis per unam aut alteram horam. Sic plura suppetent aliorum exempla, quibus Domini sententia confirmetur, sed ipse Dominus in se ipso suisque rebus gestis longe id evidentiùs manifestat, quam in aliis. Cum enim vellet indicare, quam se constanter et accurate fidelem exhiberet in observanda lege: Peribit, inquit, potius cœlum et terra, quin omnia fiant usque ad unum iota vel unum apicem. Quin et ipse Deus optimus maximus, « qui appendit tribus digitis molem terre, » ISAI, XL, 12, id est, tribus his attributis universum regit mundum, Sapentia, Bonitate et Potentia, nonne hæc in minimis magis elucere facit, quam in magnis? Nonne magis mirandum, quod omnes capituli nostri capillos habeat numeratos, et ad folium arboris decidens advertat animum,

quam quod homines regat et Angelos? Nonne ad bonitatem suam maxime declarandam, sic Sponsus sponsæ loquitur: « Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculo meo tuorum, et in uno crine colli tui? » CANT. IV, 9.

Quid minutius uno crine? Nonne ad potentiam denique manifestandam illud D. Aug. valet dictum: « Deus creat minima corpore, acuta sensu animantia, ut majori attentione stupeamus agilitatem muscæ volantis, quam magnitudinem jumentum gradientis; ampliusque miremur opera fornicarum, quam onera camelorum. » Lib. IV de *Genesi ad lit.* c. 14.

## DUBIUM IX.

*De Abstinentia et Sustinentia.*

Audierat quondam e S. Jacobo Philothea, quod patientia opus perfectum habet, sed non satis videbat, cur huic potius virtuti, quam alteri perfectio adscriberetur. Quare clariorem hujus dubii explanationem petit, cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, supponendo in primis ex S. Aug., « quod omnia peccata duæ res faciunt in homine: Cupiditas et Timor; cogitate, discute, interrogate corda vestra, perscrutamini conscientias; videte, utrum possint esse peccata, nisi aut cupiendo, aut timendo. Proponitur tibi premium, ut pecces, id est, quod te delectat facis, propter quod cupis. Sed forte non induceris donis, terrors minis; facies, propter quod times. Si cupiditas non valuit, forte timor valebit. Porro autem si de Scripturis contra cupiditatem venit tibi in mentem: Quid prodest homini, si totum lucretur mundum, animæ vero suæ detrimentum patiar? veniat etiam contra timorem in mentem: Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere. IN PS. LXXXIX.

Ex quibus vides, quanti referat abstinere et sustinere, cum inde vel virtutes universæ vel peccata omnia enascantur. Sic idem S. Aug. de Christo Domino: « Omnia quæ habere cupientes non recte videbamus, carente vitia fecit; omnia quæ vitare cupientes a studio deviabamus veritatis, perpetrando deiecit. Non enim ullum peccatum

committi potest, nisi dum appetuntur ea, quæ ille contempnit, aut fugiuntur ea, quæ ille sustinuit. MATH. X, 28.

Atqui in his duobus actibus omnis patientia continetur, libenter abstinere ab omnibus bonis sensibilibus, et mala omnia sustinere. Nam cum omnis patientia versetur circa ea, quæ sunt carni aut animo contraria; nihil autem sit contrarium, quam vel privari bonis, quæ naturaliter appetimus, vel sustinere mala, quæ refugimus. Profecto hinc manifeste sequitur, quod omnis patientia in his duobus actibus continetur, quos Christus Dominus celeberrima illa sua sententia complexus est, quæ sequentes monet: « Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie. » LUC. IX, v. 25.

Est enim abnegare seipsum, abstinere a bonis sensibilibus, et est tollere crucem, sustinere mala. Sic S. Prosper agens de fortitudine seu patientia: « Quæ si virtus, inquit, esset, fortiter etiam talibus blandimentis repugnaret, nec acquiesceret mollibus, quæ adjuvante Domino dura quæque, vel aspera superasset. » S. PROSP. c. 10. *de vit. contempl.*

## DUBIUM X.

*De Zelo et Scientia jungendis.*

Cum aliquando audivisset Philothea, scientiam sine zelo, arma sine milite, et zelum sine scientia militem sine armis esse, difficulter capiebat sensum hujus sententiæ; sæpe enim aliis officium, quæ alii prosunt. »

*In Job. XXXVIII, Mor. 3 et 6.*

Vide, quæ plura prosequitur. Quem in sensum etiam S. Bernardus: « Facillime zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas; nec habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si effecere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambaletur. » Item

quæ alibi: Importabilis, ait, absque scientia est zelus; ubi ergo vehemens emulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur, plerumque autem et perniciosus valde sentitur. » *Serm. XIX, in Cant.*

Hoc est denique, quod Apostolus de Judæis dicebat: « Emulationem quidem Dei habent sed non secundum scientiam. » ROM. X, 2.

Non est hoc emulari Deum, sed seipsum.

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, et utriusque necessitatem sic ostendit. Nam primo, quid efficiat scientia sine zelo, cum sit hoc zeli proprium, scientiam acere, excitare, et in medium producere, ut se ipsa probet ad opus externum, quæ alioquin non se excitata lateret, et otietur? Hinc Sapientia semel et iterum: « Sapientia absconsa, et thesaurus invisus, quæ utilitas in utroque? Melior est qui celat insipientiam suam, quam homo, qui abscondit sapientiam suam. » ECCL. XX, 32 et XXI, 17.

Angeli quoque, inquit S. Ambr. in Ps. 118, sine zelo nihil sunt, et substantiæ suæ amit-

## DUBIUM XI.

*De Respectu Humano.*

Sæpius audiebat Philothea concionatorem quemdam auditores ad respectum humanum vitandum excitantem, atque inter alia dicentem, quod respectus iste sit gravissimus Christi et Dei despectus, quod cum sibi imaginari non satis posset Philothea, clarius id sibi ostendi petiit, cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, idque sic ostendit. Respectus eo est iniquior, quo personæ, de quibus agitur, magis inter se differunt, et quo indignior est illa, quæ præfertur; sed in humanis non reperitur tanta differentia personarum, seu talis indignitas ejus personæ, quæ præfertur, quam in respectu humano; ergo non est iniquior respectus, quam humanus. Prima seu major propositio per se patet. Secunda autem, seu minor facte ostenditur; cum enim respectus humanus nihil aliud sit, quam ex cupiditate placendi, vel metu displicendi hominibus aliquod Christianum opus omittit; vel oppositum malum committere; profecto hinc patet homines præferri Christo; hæc sunt videlicet personæ, de quibus agitur, Christus ex una parte præcipit bonum, aut vetat malum; ex alia vero mundus sive homines, quibus placendi cupiditas vel metus displicendi avertunt ab illo bono tenendo, ut impellant ad malum. At nonne est tanta istarum personarum distantia, quanta in humanis alia reperiri non possit? Nonne si mundus præfertur Deo, præfertur persona tam indigna quam longe indigna esse potest præ altera, quæ posthabetur? Quæcumque alia fiat comparatio personarum, aut quæcumque earum sit distantia, vel unius ad alium proportio, tota tamen illa differentia finita est, et suis terminis circumscripta, cum fiat comparatio inter homines, inter creaturas, quarum alia quantumcumque aliam dignitate excedat, excessus tamen illi est determinatus; at inter Deum et hominem nulla prorsus est proportio, sed infinita quedam distantia, quæ efficit, ut, cum per respectum humanum præferantur homines Christo et Deo, id præ-

feratur alteri, quod tam longe est indignum, at nihil longius, nihil indignius cogitari possit: « Cui assimilastis me, aut adæquastis, et comparastis me? » ait Dominus apud Prophetam. *Responde et erubescet.* Is. XLVI, 5.

Quando esset mundus universus, quid illa est ad Deum nisi quod ait Sapiens? « Tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, et tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram. » Sap. II, 23.

Sic et Propheta: « Ecce gentes quasi stilla situlae, et quasi momentum statera sunt. » Is. XL, 15.

At certe non intervenit illo respectu humano mundus universus, non Angeli, non Beati, non ipsi etiam homines sanctiores, doctiores, sapientiores, non miliones hominum, non millia, non centum, vix decem, vix unus aut alter; mera est plerumque imaginatio, timor nocturnus. Et tamen hunc aut alterum præfers Christo, præfers Deo? O indignitatem! Quis ut Deus? Quid tibi videtur de Christo? Merito ergo tales olim audient: « Ubi sunt Dii eorum, quibus habebant fiduciam? Surgant, et opitulentur vobis, et in necessitate vos protegant. Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus præter me. » Deut. XXXII, 38.

## DUBIUM XII.

*De Infirmiutis Utilitate.*

Cum legisset Philothea, quod S. Paulo olim tentato, et liberationem a tentatione suppliciter petenti, responderit Deus: « Sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur; II Cor. 12, v. 9, non poterat sibi imaginari, quomodo per id, quod ipsum infirmum est, roborari aliud posset; quare, cum hoc dubium de more proposuisset,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, et veritatem hujus asserti ex eo ostendit, quod ibi sit major virtus et potentia, ubi majus sentitur divinum auxilium; tum ibi etiam magis vere et proprie dici possit esse virtutem et potentiam, vel ad agendum, vel ad patiendum. « Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? » Rom. VIII, 3.

« Dominus meus, auxiliator meus, inquit Propheta, ideo non sum confusus, ideo posui

faciem meam ut petram durissimam, et scio, quod non confundar. Juxta est, quis contradicet mihi? Stemus simul: Quis est adversarius meus? Accedat ad me. Ecce Dominus, Deus auxiliator meus, quis est, qui condemnet me? » Is. I, 9.

Denique quidquid se contra opponat, vel mundus universus, vel infernus totus, vel omnes simul junctæ creaturæ, quamdiu nobiscum erit Dominus, semper illud erit verum, quod dilectus ait Discipulus: « Major est, qui in vobis est, quam qui in mundo. » I. JOAN. IV, v. 4.

Sed in infirmitate et impotentia, si humiliter agnoscantur, et perfecte Deo subjiciantur, majus adest divinum auxilium, major Dei virtus et potentia. Id quod tribus rationibus probatur. Prima petitur ab ipsa Dei bonitate et misericordia, quæ, quo egentior videt hominem, primo quidem illustrat et monet, ut se videat, et agnoscat quam sit pauper et nudus et miser; tum si talem se agnoscat, aut si saltem de se nihil presumat et arroget, benignitatis suæ fontem aperit, et « abyssus miseriarum invocante misericordiarum abyssum, » Ps. XLI, 8, ubi abundaverat delictum, ibi superabundat gratia. Rom. v, 20. Deinde vero, quæ secunda est ratio, si miser ille, sic preventus a Domino, non modo non inde se efferat, sed magis se ac magis humiliet, paupertatis suæ semper memor, et infirmitatis prædicator assiduus, sibi totus diffidat, ut se totum in divinam projiciat bonitatem, tum mirum quantum hæc delectatus confidentia Dominus, sperantium in se corda roborat, confortat animos, et ad omnia vires subministrat: « Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus, Deus meus, adjutor meus, et sperabo in eum. » Ps. XVII, v. 3.

Tum vero Dominus: « Quoniam in me speravit liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. » Ps. xc. v. 14. Hinc præclare S. Aug.: « Fortitudo nostra est infirmitatis in veritate cognitio, et humilitate confessio. » Tertio denique majorem id spectat Dei gloriam, ut, quo infirmiore utitur instrumento, eo apertius cognoscat Deum esse, qui facit, quidquid est admirabile, et quam sit admirabile, quidquid facit. « Tu venis ad me cum gladio et hasta et clypeo, dicebat pusillus David giganti. Ego autem venio ad te in nomine Domini et dabit te Dominus in manu mea,

ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, et noverit universa Ecclesia hæc, quia nec in gladio, nec in hasta salvat Dominus. » I. REG. XVII, 45.

Sic humilis et generosa Judith: « Erit et memoriale nominis tui, cum manus femine dejecerit eum. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est, nec superbi ab initio plauerunt tibi, sed humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. » JUDITH. IX, 16.

Sic ipse Dominus infirmitatem carnis nostre assumpsit, ut gloriosius in ea de Diabolo triumpharet; Unde illa sunt præclara S. Augustini: « Fortitudo Christi te creavit. Fortitudo Christi fecit, ut, quod erat, non periret. » TRACT. XV, in Joann.

« Quantum debemus infirmitati! Quantum est scilicet redemptionis beneficium! Jam non miror, quam multus sit, et quam facundus sit Apostolus in hoc divino consilio deprædicando, quoad majorem sui notitiam: « Quæ stulla sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi et contemptibilia, et ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret; ut non gloriaretur omnis caro in conspectu ejus. » I Cor. I, 4.

Merito ergo dixit Propheta Joel: « Infirmum dicat, quia fortis ego sum. » JOEL. I, III, 10.

Et S. Paulus: « Cum infirmor, tunc potens sum. » II Cor. XII, 10.

Recte tamen monuit Asceta, hactenus dicta non ita intelligenda esse, quasi ultro velimus esse infirmi, aut quasi ipsa infirmitas et impotentia naturalis sint ex se optanda: « Dominus est, qui mortificat, et vivificat, qui pauperem facit et ditat, humiliat et sublevat. » I. REG. II, 20.

Nostrum vero est, nostra infirmitate non tantum non infirmari, nec desperare, sed eo magis confidere, quo infirmiores sumus, cum invocatus non desit Dominus, qui nos confortet; aut si etiam non addeset, sicut vellemus, relinque nos in nostra imbecillitate relinquere, neque tunc etiam deiciamur, ne fortiores esse velimus, quam velit Deus. Satis enim fortes sumus, si nostram infirmitatem libenter portamus; et suam impotentiam generose ferre magna est potentia.

## DUBIUM XIII.

*De Violentia ad Cælum obtinendum necessaria.*

Cum legisset in Evangelio Philothea : « Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud ; » partim mirabatur, quod Deus cum tam ardentem cupiat omnes homines salvos, nihilominus tamen violentos illud acquiri velit ; partim nesciebat, in quo vere consisteret illa violentia ; quod utrumque dubium ut ei solvatur,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, per violentiam hanc nihil aliud intelligi, quam victoriam de difficultate, quæ in virtutum exercitio occurrit ; cum enim ex una parte Regnum cœlorum obtineri nequeat sine virtutum, præcipue Charitatis, Castitatis et Humilitatis, exercitio ; similes autem virtutes exerceri non possint, nisi naturæ corruptæ vis et violentia inferatur, tam necessaria est hæc violentia, quam ipsa virtus ; et sicut de una virtute ait Apostolus : « Patientia vobis est necessaria, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem ; » HEBR. x, 36, sic plane de vi nobis inferenda sentiendum est, cum alioqui nulla sit solida virtus. « Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. » APOC. III, 21.

Quasi aperte diceret : Non aliter sedebit mecum, nisi pugnet, et nisi vincat, cum ego ipse non aliter sessionem illam meruerim, quam pugnando et vincendo. Hinc merito Apostolus dixit. « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, non solum autem mihi, sed et iis, qui diligunt adventum ejus. » II TIM. IV, 7.

Et vero inquit idem : « Qui certat in agone, non coronabitur, nisi legitime certaverit. » IBD. II, 1.

Et rursus : « Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinat, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum ; si pugno, non quasi aerem verberans ; sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte,

cum aliis prædicaverim, ipse reprobos efficiar. » I COR. IX, 25.

## DUBIUM XIV.

*De Habitu Religioso.*

Cum aliqua persona religioso habitu indueretur, inter alia dixerat exhortator, qui pro illa solemnitate perorabat : Non esse in novo habitu novum cordis gaudium, sed in novo corde. Quam doctrinam utpote valde salutarem cum Philothea melius explicari petisset,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, bene dixisse exhortatorem, eo quod vocationis gratia sit novum illud gaudium, et illa vocationis gratia sit in novo corde, quod profecto non gaudeat in ingressu Religionis, nisi novum esset, et mutatum sicut dictum est : Quia gaudium non nisi ex amore nascitur. Atque adeo, ut sit gaudium spirituale, debet esse amor spiritualis ; ut sit gaudium de mortificanda carne, debet esse odium carnis et amor spiritus, quod certe carnis odium et amor spiritus non esset in novitio, nisi cor ejus mutatum esset. « Convertite me, et convertar, ait Propheta, quia tu Dominus Deus meus ; postquam enim convertisti me, egi penitentiam, et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. » JER. XXI, 18.

« Quid in femore, nisi voluptas carnis, accipitur, inquit S. Gregorius, et quid est, quod ait, postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, nisi postquam superna spiritualiter vidit, omne quod in se inferius carnaliter vivebat, extinxit, ut quanto magis summa patesceret, tanto amplius ima, quæ tenerat, non liberent ? Nam quanto incipit quisque superius vivere, tanto et inchoat inferius interire. » L. XXV, MOR. c. XLV.

Sicut enim mutata dicitur persona, quia mutatus est ejus vitæ status, sic etiam mutatus est vitæ status, quia mutata est persona ; sed utraque mutatio, tum personæ, tum status, ut sit vera et sincera, cor mutatum esse debet : « Cor est primum vivens, et ultimum moriens. » Hoc vulgare dictum de utraque vita seu morte, tam naturalis, quam spirituali, vere debet intelligi ; sicut et illud Sapientis : « Omni custodia serva

cor tuum, quia ex ipso vita procedit. » PROV. IV, 23. Quasi novitio diceretur : Quia nunc, quando sumitur habitus, cor est novum, et in sua novitate integrum, spirituales sentis effectus, amore commoveris et gaudio, bene habet, hoc est suave Christi jugum, hæc vitæ religiose suavitas ; sed quando putas, sic suaviter vives ? Audi et crede. Quando scilicet cor tuum conservabis in sua integritate et novitate. Hic est scopus propositæ veritatis, et totus finis discursus, ut, quantum gaudere semper velis, tantum in hac novitate cordis persistas. Statim enim atque cor inveterasset, desinet gaudium. Tum autem inveterasset, quando aliter de rebus senties, ac modo sentis. Modo tibi omnia vana videntur propter Deum, et salutem, et nihil tam abjectum in Religione, quod non acceptes ; si post, aliter sentias et judices, tum puta te inveteratum, et ne mireris, si te privatam gaudio sentias, quia non est gaudium, nisi in corde novitatem suam conservante. Hinc S. Bernardus merito monuit : « Scruletur proinde vias suas, et studia sua, qui promissam centupli gratiam sibi deesse causerit, et videbitis profecto, se non omnia relinquisse, nec propterea miretur, se non illud percipere, quod non est promissum, nisi his, qui relinquunt omnia, et inter omnia semetipsos. » S. BERNARDUS, in illa verba : *Ecce nos reliquimus omnia.*

Quam ob rem idem S. Pater ad se primo accedentes, et ad sumendum paratos habitum sic urgebat vehementius : « Age ergo qui relinquere universa disponis, te quoque inter relinquenda numerare memento. Imo vero maxime et principaliter abnega temetipsam, si deliberas sequi eum, qui exinanivit propter te semetipsum ; pone gravissimam sarcinam, pone asinariam molam, terrenam molem, pone illa quinque non hominum plane juga, sed bonum, quæ tibi insipienter emisti. Alioqui sequi sponsam et venire ad nuptias spirituales quinaria hæc pressus et oppressus corporis sensualitate non poteris.

## DUBIUM XV.

*De Vita Occulta.*

Legerat quondam Philothea in libro quopiam, quod nemo manifestus cum Christo

vivat, quam qui occultus. Quæ doctrina cum sibi ipsi contradicere videretur ad Oëdipum iterum suum confugit, cui

## SOLUTIO.

Respondit Asceta, tribus modis intelligi potest occulta cum Christo vita. Primo, si remota sit a secularibus negotiis et curis, qualis est Regularium, vel eorum vita, qui domi suæ privatam et arctiorem vivendi normam servant. Secundo, si vita quidem sit publica et civilis, quantum ad vacationem et ministeria, sed multa in occulto bona faciant, sive quæ Deum respiciunt frequentandis Sacramentis, et aliis piis obediendis exercitiis ; sive quæ proximum in largis elemosynis ; sive quæ ipsos spectant in variis virtutum actibus frequentandis. Tertio, denique, sive illi Religiosi sint, sive Seculares ; sive privati, sive publici ; sive soli, sibi vacantes, sive proximorum saluti ; sic tamen vivunt, ut animam, et omnia sua interna conformet, quantum gratia possunt, Evangelicis præceptis et consiliis ; qui beatos credunt pauperes spiritu, et miseros divites ; qui beatiores eos putant, qui lugent, quam qui rident ; et qui beatissimos se dicunt potius, si maledicantur, pro justitia, quam si ab hominibus honorentur et benedicantur. Hi sunt præcipue, quos dicimus occulte cum Christo vivere ; et hi sunt præ cæteris, qui manifestius vitam vivunt supernaturalem ; quia quod in illis est occultus, hoc ipsum est magis supernaturale, hoc est magis supra humanam naturam, et communem vivendi morem ; nempe in divitiis paupertatem colere, in honoribus humilitatem, in deliciis asperitatem, in abundantia penuriam, in varia negotiorum diversitate, eandem servare animæ aequalitatem, et puram Deo placendi intentionem ; quid occultus ? Quid rarius, et quid simul sublimis et excellentius ? *Rara hæc avis super terram*, ait S. Bernardus. « Hæc est aquila, inquit S. Gregorius, de qua Job : Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, et in arduis ponet nidum suum ? Hæc mulier amicta sole, et luna sub pedibus, cui date sunt alæ duæ aquilæ magnæ, et volaret in desertum, et in deserto deliciis affluens, inde ascendere innixa super dilectum suum ; » (S. GREG. XXXI, MOR. XIX.) ut est in Canticis, et in Apocalypsi, ad illud ipsum exprimentum, quod dicimus de

occulta vita, quæ est manifestus vita spiritalis et supernaturalis. O vere thesaurus in agro absconditus, pro quo emendo vendi debent universa! Hinc præclare S. Augustinus in illum Psalmi versiculum: *Et exaltabit cornu populi sui.* Ps. 138, 14. « Modo fructus per hibernum in radice non apparent, attendis quasi aridas arbores per hyemem; qui non novit vivere, aridam putat vitem, et forte juxta est, quæ vero aruit; similes sunt ambæ per hyemem, illa vicit, illa mortua est, sed vita et illius mors in abscondito est. Ætas præcedit; vita illius clarificatur, mors illius manifestatur, præcedit honor foliorum, fecunditas fructuum, vestitur vitis in facie ex eo quod habebat in radice. Ergo modo, Fratres, tales sumus, quales sunt et alii homines. Quomodo nascuntur, manducant, bibunt, vivunt, et vestiuntur, transigunt vitam istam, sic et Sancti. Aliquando res ipsæ decipiunt homines, et dicunt: ecce postquam cœpit esse Christianus numquid non ei dolet caput, aut quia Christianus est, quid habet plus a me? O vitis arida, attendis juxta te vitem nudam in hiberno, sed non aridam per restatis vim. Et venit Dominus honor noster, qui latebat in radice; et tunc exaltabit cornu populi sui. »

## DUBIUM XVI.

*De Votorum Renovatione.*

Cum in exhortatione pro votis renovandis dictum fuisset: « Votum non recte renovat, quem non ipsa etiam vota renovant: » non satis assequabatur sensum hujus axiomatis Philothea, quem proin ut melius eperet,

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, et primo supponit, oportune factum et plane divinitus inspiratum S. Ignatio fundatori Societatis Jesu ut renovando animo jungeretur votorum renovatio, qua facile id fieret, quod vix aliquin fieri posset. Cum enim tanta sit, et tam alte impressa menti nostræ votorum religio, ut nullus nisi perditus, quidquid ad votum spectat, nisi sancte et religiose velit attrahere, nihil poterat aptius excogitari ad perfecte instituendam animi renovationem; et primum ad religiosi spiritus inflammandum fervo-

rem, quam si votis renovandis jungeretur illa spiritus renovatio, simulque omnes vota renovari, discerent, ac probe intelligerent, non se recte et religiose vota sua renovaveros, nisi simul ex renovatis votis renovaretur spiritus. Quod tibi, Religiose, voto est religiosus? At de voto agitur, cum de renovando spiritu agitur. De religione, qua nuncupantur vota, negotium est, cum de renovatione spiritus negotiaris spiritualiter. Quis voti reus esse vellet? Reus erit, qui vota renovabit, non renovato spiritu. Quam ob rem quantus est metus, et horror tam execranda reatus contrahendi, tantus esse debet timor non renovandi animi, cum unum alteri connectatur. Hoc supposito, sic discurret: Vota non recte renovas, nisi finem assequaris, vel præteras assequi, cur vota renovantur. Cum enim in honore quovis opere bonus finis sit semper sibi præfigendus, tum vero maxime in votis Deo nuncupandis, in quibus tota vis, tota Religio, totus valor pendet ex mente, seu ex fine, ac intentione voventis, et votum admittentis. Non est, inquam, aliud in voto, quam quod intendit votum faciens, et recipiens. Unde si vivendo aliud intenderet, qui votum facit, quam qui recipit, nullum esset votum, non enim intendit vivendo, quod debebat intendere; et tale votum nullum est, quod caret suo debito fine, sua intentione, sua veluti essentia et anima. Imo esset grave peccatum sic vivere, nisi quid legitime excusaret, ut ignorantia vel metus rationalis, aut vis illata, aut quid simile canonicum et regulare, sine quo aliquin Deum irideret, Deum contemneret, et se gravi Religione obstringeret, qui Deo votum offerret, non eo fine et animo, quo esset offerendum. Sed nisi vota te renovent, non assequaris finem, cur vota renovantur. Vel clarius: Nisi renovando vota intendas te renovare, non habebis finem et intentionem, quam in renovandis votis debes habere. Nam hæc est horum certa et determinata intentio, ut expresse habetur in Constitutionibus et Instituto Societatis Jesu, a quo idem cæteræ, quæ sua vota renovant, hauserunt Religiones; neque enim renovantur vota, ut nova vel majori voventes obligatione se obstringant, cum quanta voti potest esse obligatio, jam in prima ejus nuncupatione tota contracta sit, ac proinde nullus alius superest renovandi voti finis, quam ut renovetur is animus, quo primo factum est tale votum. Unde id tandem se-

quitur, quod, qui votum renovat, nisi hunc habeat finem, non habet finem sui voti; nam eum debet habere, quem habet ipsa Religio, quem habuit ejus Fundator, quem habent superiores, ejus legum ac ejus mentis interpretes. Sicut enim cum religiosa primum vota in quolibet Instituto et Ordine religioso fiunt, sic omnino fieri debent a novitio, prout talis est instituti ratio et regula. Unde in ipsa votorum formula sæpe hæc exprimitur verba, *secundum Regulam, vel omnia intelligendo juxta Constitutiones*; sic plane in ipsis renovandis votis se quisque conformare debet suo Instituto, cujus cum alius finis non sit, quam renovare animum, non alius etiam esse potest vota renovantis, aut si alius fuerit, non erit is, qui esse debet.

## DUBIUM XVII.

*De eodem.*

Cum juxta communem Doctorum sensum propter votorum Ordinis editionem Religioso omnia peccata perinde, ut per Baptismum remittantur, dubitat Philothea, an eadem gratia etiam renovationi votorum concedenda sit? cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta affirmative, idque tribus argumentis probat, quorum primum est ipsa institutio faciendæ bis in anno renovationis votorum, ad hunc finem, ut simul fiat spiritus renovatio. Sive enim consideretur, ut a Domino particulatim inspirata, sive ut a sancto Fundatore Ordinis approbata, una cum ipso fundata Ordine, dubitari non potest, quin ea ipsa gratia, quæ Fundatori data est, ad stabiliendum suum Ordinem, sese extendat ad hanc ejus partem, quæ perfectioni acquirendæ ac conservandæ tam apta est, ut quotidiana constat experientia. Secundum est ipsa operis excellentia, seu ipsius renovationis votorum meritum, quod certe non est ex se minus, quam primæ votorum nuncupationis, cum sit eadem plane voventis, et vota renovantis intentio, perfecte Deo serviendi, eademque prorsus vocat, quibus ei serviat. At vero certum est, primam illam votorum nuncupationem

tanti esse valoris et meriti, ut veteribus omnino condonatis delictis, novam afferat novæ vitæ gratiam. Tertium est, illa quæ inter vota religiosa et animum renovatum intercedit similitudo et paritas. Quid est enim vivere vota religiosa, nisi totum se dare Deo, velut in holocaustum, ut supra visum est? Et quid est aliud renovare illam mentem, quæ sit tota Dei, si qua forte parte dellexisset? Unde sicut non dubitatur dari gratiam Religiosis ad observanda sua vota, nec non ad perfecte vivendum, sequè totos suæ vocationi conformandos; ita certe tenendum est vel illam ipsam valere gratiam, vel novam addi, ad renovandum et revocandum, quod semel datum est. « Levavi oculos meos ad caelum, et sensus meus redditus est mihi. » DAN. IV. 31.

« Bonis donabo majoribus, quam habuisti ab initio. » EZECH. XVI. 11.

« Tunc erumpel quasi mane lumen tuum, et sanctitas tua citius oriatur. » ISAIAS, LII. 8.

## DUBIUM XVIII.

*De Tempore.*

Audierat quemdam Philothea dicentem: « Nihil est magis nostrum, quam tempus; et nihil minus est nostrum. » Quæ cum contradictoria sint, non potuit Philothea sibi persuadere, quod vera sint; quare explicationem petit, cui

## SOLUTIO.

Respondet Asceta, et primam partem sic probat: Nihil magis est nostrum, quam quod prorsus pendet a nobis nullo prohibente. Quid clarior? Sed nihil est, quod magis a nobis pendat nullo prohibente, quam tempus, si velimus eo recte uti. Nam quidquid cogamur facere, possumus illud semper cum Dei gratia dirigere in rectum finem, sive ut placeamus Deo, sive ut dissolvendis peccatis satisfaciamus, sive ut cumulandis æternis laboremus bonis. Unde Sapiens: « Non impediaris orare semper, et ne verearis usque ad mortem justificari, quoniam merces Dei manet in æternum. » ECCI. XVIII, 22. Id est, hoc tibi plane liberum est, semper orare, saltem mente, sal-



tem intentione, dirigendo tuum opus in bonum finem; sic enim ex quocumque opere tibi thesauros gratiarum et æternæ futuræ gloriæ colliges, nec vereri debes, ne aut desit labori merces, aut mercedi labor supersit; nam laboratur æternitati. O ponderosum nomen! O quam recte Apostolus. « Æternæ gloriæ pondus, ait, quod operatur in nobis, quidquid occurrit laborandum. » I Cor. iv. Hoc est enim, quod labore nostro dare debet pondus, ne sit inanis et vacuus.

Alteram partem sic ostendit: Nihil est, quod minus nobis vindicemus tanquam nostrum, et tanquam nobis proprium, si nos a Deo separemus. Ratio est valde consideranda, quia nihil est æquius nostrum, quam vita nostra, quæ tota est Dei, ut Creatoris, ut finis, ut summi boni; quæ tota est Christi, ut Redemptoris, ut Domini, ut Glorificatoris, et sexcentis aliis ex titulis: « Non estis vestri; empti enim estis pretio magno. » I Cor. vi. 10.

« Ut qui vivunt, jam non sibi vivant. » II Cor. v. 15.

Sed qua ratione vita nostra non est nostra, eadem prorsus tempus nostrum non est nostrum. Nam tempus et vita sic sibi mutuo correspondent, quantum præcipue spectat ad humanos nostros actus, ut neque aliter concipi possit, nos aliquem vitæ humanæ actum posse producere, nisi una concipiatur, nos tempus aliquid in eo collocare; neque intelligi id possit, nos tempus in re quapiam ponere, quin simul intelligatur, nos humanæ vitæ nostræ motum et actum aliquem edidisse. Nemo enim vivit, nisi in tempore, et nullum est nostrum tempus, nisi quo vivimus. « Sic omnia tempus habent, et suis spatiis transeunt universa sub cælo. » Eccl. iii. 1.

Unde illud plane concludi necesse est, ut si tibi non licet partem aliquam vitæ tuæ Christo subtrahere, neque etiam tibi licet ullam ei temporis negare partem; nam pars illa temporis, quam negares, pars esset vitæ tuæ. Quidquid enim in illa parte temporis ageres, viveres scilicet; et quod tum viveres, nonne tam vere Christo subtraheres, quam tempus ipsum, quod vivere et agere diceres? Posses ne actu vitæ expresso velle Domino vivere, et non velle ei respirare? Non posses, quia hoc esset vivere, et non vivere; seu velle et nolle cum vivere, et respirare sit unum et idem. Sic omnino quantum ad rem nostram licet tempus cum non sit tam intrinsicum humanæ nostræ vitæ, quam

ipsa respiratio, sic tamen illi est connexus et colligatum, ut, quo actu vita ponitur, ponatur tempus; et qua parte tempus collocetur, collocetur et vita. *Ventus est vita mea*, dicebat Job. vii. 7, et præclare, hoc utrumque respiciens. Nam vita ventus est, id est, respiratio; et vita ventus est, id est, citissimum tempus. Quam gravis autem hæc jactura sit, vel ex eo patet, quod ea omnes gravitatis circumstantias habeat. Nam 1. gravis prodigalitas vel negligentia est, si res pretiosa perdat, atqui ut Sanctus Bernardus et alii communiter aiunt, *nihil pretiosius tempore*. 2. Si res irreparabilis; atqui irreparabile tempus. 3. Si res unica, et summe necessaria; atqui solum tempus nostrum est, et ita necessarium, ut sine illo nihil habeamus. 4. Si res sacra; atqui omne tempus Deo sacrum est. Unde merito timere tales possunt, ne aliquando verificetur, quod Christus flens super Jerusalem dixit: « Quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui, et coangustabunt te undique, etc., eo quod non cognoveris tempus visitationis tue. » Luc. xix. 43.

#### DUBIUM XIX.

##### De Fervore.

Audierat aliquando Philothea sequentia verba ex Sancti Ignatii epistola citari: « Fovete semper in sinu cordis vestri vividum quemdam, sanctumque fervorem ad quosvis pro virtute exantlandos labores; quia rarum aliquod et eximium facinus excellit sexcentis vulgaribus, minutisque. Ad quem enim virtutis gradum piger non potest adrepere, exigua temporis intercapedine diligens mirabiliter volat. » S. IGNAT. in *Epist. de Pers.* Quam doctrinam cum creditu difficilem sibi judicasset,

#### SOLUTIO.

Respondet Asceta, et sic probat assertum: Illud est majoris meriti opus, quod est ex puriori corde profectum, sed quod ferventius peragitur, ex puriori corde profectum, ergo et majoris est meriti; quod ut melius intelligatur, atque ut simul apertius internoscat, quid charitati fervor addat ad puritatem actionis, observandum est, duobus præsertim modis actionem posse inqui-

nari, et purgari. Primo quidem inquinatur impuris affectibus, seu mundanis propositis finibus ac intentionibus, a quo inquinamento mentem purgat illa charitas, quæ nunc respicit Deum. Sed cum etiam in respiciendo Deo multi se humani respectus, et discursus obtrudant, qui hominem in diversa rapiunt, et sub specie recti ac boni sæpe fallant, et avertant a bono, aut certe dubium, et suspensum animum sic retineant, ut quid agat, quove se vertat, ignoret; ac interim non nisi remitte, anxie, et imperfecte agat, potest dici hoc alterum inquinamento genus, quo non quidem malum appetas, nec bonum sine malo facias; sed quo bonum non satis bene, non satis prompte, non satis studiosè amplecteris; a quo inquinamento nos purgat fervor; quatenus qui suo fervet in opere nihil moratur, quidquid obviet animo, non se sinit illis retardari obstaculis, quæ apparenti virtutis specie, vel nobili prætextu mentem alio avocant. Sed toto, quod ajunt, pectore rem aggreditur, rem promovet, et absolvit, uni Deo intentus, uni attentus operi. « Vidisti virum velocem in opere suo? Coram Regibus stabit, nec erit ante ignobiles. » Prov. xxii. 29, eis scilicet serviendo, id est, illustris ille futurus est. Et hæc est vis illa summa, qua præteritum tempus possis revocare, qua metiri possis ventum, et ignem ponderare; quæ tria quondam Esdræ ab Angelo sunt proposita, tamquam ea, quæ essent extra omnem efficientiam posita. Sic enim fervor, præteritum revocat tempus, cum lacrimæ replentur illorum mensium, quas Scriptura vocat *vacuos*. Replentur autem, cum fervor geminat opera, non tam numero, quam valore et merito: « Susecipit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. » Job. vii. 3. Metiris autem ventum, cum ad unumquodque momentum, quo aere spiras, inspiras operi meritum. Ignem denique ponderas cum tanta fervoris habetur ratio, ut, pro singulis ejus gradibus agendi meritum crescat et præmium. Sic præclare Sanctus Hieronymus in Apostoli verba: « Redimenes tempus, quoniam dies mali sunt. » Quod in diebus malis est, inquit, quodammodo immutamus illud, et dies malos in bonos vertimus, et facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. » O quam proinde sapienter Sapiens: « In omnibus operibus tuis esto velox, et omnis infirmitas non occurret tibi! » Eccl. xxxi. 27. Non ægrotabis illa ægitudine animi, qua in diversa distraharis, et qua dis-

tractus vix aliquid agas, aut agendo merearis. Non occurret fieti infirmitas corporis, quasi non id possis operari, quod occurrit. Non infirmitas animi, quasi nolis aut nescias. Non infirmitas ipsius operis, quasi fatiscas operando. Nulla denique tibi occurret infirmitas, quia velocitate et fervore sic roboratur animus, ut licet etiam infirmaretur, non desineret operari, et tunc vel maxime diceret: Cum infirmor, tunc potens sum.

#### DUBIUM XX.

##### De Affectibus.

Legerat quondam in libro Philothea, affectum præcipue probari ab effectu; quia vero advertebat, multos concipere varia desideria, post quæ tamen effectus non sequatur, non parum dubitare cœpit de veritate hujus sententiæ, cui

#### SOLUTIO.

Respondet Asceta, et in primis supponit, 1. hanc vocem *affectus* æquivocam esse ad omnes illos motus, quo movetur animus circa rem unam, vel diversas, exprimendos; sive enim sit naturalis inclinatio, seu passio appetitus concitator, seu simplex voluntatis complacentia, seu denique absoluta voluntas, dicuntur hi omnes animi motus eodem affectus et concupiscentiæ nomine, licet eorum ratio sit longe diversa. Deinde vero est observandum, quod hi simul affectus, quantumcumque varii et diversi sint, sæpe concurrunt circa unum et idem objectum ut vel se juvent ad illud prosequendum et obtinendum, vel se impediunt et destruant. Nonne id sæpe accidit, ut quis in virtutem aliquam ex naturali indole vel ex affectu humano, vel rationali et divino simul prosequatur? Nonne e contra fit etiam sæpius, ut quis naturali affectu aversetur virtutem aliquam; et tamen ipsam eandem in alio rationali et spirituali affectu diligat, et observet? Quod et de vitio quolibet sic sentitur et dicitur, cum directe oppositi circa idem excitantur affectus et amoris, et odii, et persecutionis et fugæ. Denique quod observet diligenter cum hi affectus sint plane oppo-